


V 1/2
1920






Vk
1920

DE
DOMINICA POTESTATE
EX IVRE LVSTATIAE SVPERIORIS

DISSERTATIO



QVAM

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO CVRIAE
PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII IVRE-
CONSVLTORVM ASSESSORE

D. XIII. NOVEMBR. A. R. S. CIOIOCCCLXIX
IN AVDITORIO MAIORE

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

IOANNES DAVID FISCHERVS

RVHLANDO LVSTATVS

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRH
ACADEMIAE A LYPSIS



K. 144. 2/1

2.777



DE
MINICA POTESTATE
THE DEPARTMENT OF PERIODICS

DEPARTMENT OF PERIODICS
DEPARTMENT OF PERIODICS

DEPARTMENT OF PERIODICS
DEPARTMENT OF PERIODICS

DEPARTMENT OF PERIODICS
DEPARTMENT OF PERIODICS

DEPARTMENT OF PERIODICS
DEPARTMENT OF PERIODICS

DEPARTMENT OF PERIODICS
DEPARTMENT OF PERIODICS

DEPARTMENT OF PERIODICS
DEPARTMENT OF PERIODICS



V I R O

AMPLISSIMO DOCTISSIMO

ATQVE

IVRIVM CONSVLTISSIMO

IOANNI DAVID

FISCHERO

PATRI SVO OPTIMO


TANQVAM

MONVMENTVM GRATAE PIETATIS

NEC NON
V I R O
AMPLISSIMO DOCTISSIMO
IVRIVMQVE CONSVLTISSIMO
BENIAMIN WEIDEMANNO
PATRONO SVO PIE VENERANDO
TANQVAM
PVBLICVM SINCERAE OBSERVANTIAE
P I G N V S
HANG DISSERTATIVNCVLAM
HVMANISSIME
OFFERRE VOLVIT

A V A C T O R I M P R I M I





Q. D. B. V.



§. I.

Quamquam libertas cuique homini naturalis est, tamen naturae non tam arcte est adstricta, ut seruitus naturam hominis minuat, vel prorsus tollat. Ius naturae enim permittit eum, qui suarum actionum arbiter, et nullius potestati subiectus est, se alterius arbitrio pacto vel alio modo subiicere, et ea, quae ipse facere potuit plena usus libertate, vel in totum, vel ex parte aliorum arbitrio relinquere. Cum igitur seruitus iuri naturae non repugnet, moribus ac consuetudinibus factum est, ut aequalitas naturalis tolleretur, et seruitus apud omnes fere terrarum gentes introduceretur. Namque gentibus commodum esse videbatur eos homines, qui propter ingenii imbecillitatem vel rei familiaris tenuitatem, ad se regendos atque alendos erant minus apti, imperio prudentiorum et locupletiorum subiicere, et



illis pro alimentis et aliis, quae vitae necessitas exigit, certas operas imponere. Consulendus hic est IOACH. POTTGIESSERVS *de statu seruor. in prolegomen. §. 16.* Inde seruitus in se considerata nihil habet acerbitatis, cum perpetua seruiendi obligatio iucunda alimentorum commoditate compensetur. Postquam autem bella orta sunt, et naturalis ratio suadebat, captiuos non occidere, sed seruare, victores quidem victis vitam reliquerunt, ea tamen conditione, vt illi perpetuo seruirent. Hac occasione conditio seruorum, qui alterius dominio subiiciebantur, durior reddita fuit, ita vt serui non amplius personis, sed rebus annumerarentur. Amittebant enim liberum de rebus suis statuendi arbitrium, et quaeuis iura domino competebant, praesertim ius vitae et necis, et hinc quicquid acquirebant, domino acquirebatur, ita vt nulla alia ex causa alimenta acciperent, quam vt duris laboribus dominorum commoda augerent. Sed cum domini inciperent in seruos crudeliter saeuire, haec potestas iustis terminis fuit circumscripta. Sic apud Romanos *L. 1. π. de his qui sui. L. Cornel. de sicar. et L. vn. C. de emend. seru.* constitutum est, ne domini immoderate suo iure vterentur. Hae leges ademerunt dominis ius vitae et necis, et solam moderate castigandi facultatem ipsis reliquerunt, donec saeculo decimo tertio consecutusque nimis dura seruitus inter gentes, quae Europam incolunt, molliori disciplinae religionique puriori assuetas valde temperaretur. Remansit tamen praesertim in variis nostrae Germaniae prouinciis vmbra quasi antiquae seruitutis in illis scilicet rusticis, qui glebae adscripti ad dominum ita pertinent, vt eorum potestas imaginem aliquam priscae Germanorum seruitutis exprimat. De qua potestate, quam adhuc domini in Lusatia superiore in rusticos exercent, in praesenti, cum rationes temporis hucusque iurisprudentiae addiscendae impensi reddere et volo et debeo, breuiter differere instituo.



§. II.

Potestas dominica, cui rustici in Lusatia, Westphalia, Holfatia, Pomerania, et alibi subiecti sunt, originem traxit ex iure Germanico, neutiquam vero ex iure Romano, vti pluribus monstrauit IVST. HENNING. BOEHMER *in dissertat. de statu hominum proprior. a seru. Germ. non Roman. deriuand.* id quod etiam *Art. 1. Ordin. Lusat. super. subditorum* discretis verbis itaturatur. Germanos enim habuisse seruos proprios, testatur scriptor locupletissimus CORNEL. *de mor. Germ. c. 25.* Quemadmodum autem numerus seruorum in pugnate bellica valde fuit auctus, ita etiam apud Germanos hanc pariter fuisse causam augendae seruitutis, asserit GREGOR. TYRON. *Chron. Mind. apud HENR. MELBOM. Tom. I. script. rer. Germ. f. 556* qui quidem haec refert: *quod qui de Saxonibus per Carolum ultra Visurgim fugatis superstites fuerint, a rege in seruitutem redacti sunt, et haec est causa tot seruorum in illa regione.* Addo HELMOLD. *Chron. Sclauic. L. I. c. 12.* Hanc sententiam non solum MART. CRYSIVS *in annal. P. I. l. 8. c. 9.* confirmat, statuens, seruitutem praesertim apud Suenos a bello et quidem ex clade Tolbiaca habuisse initium, sed etiam hanc causam addit, seruos in poenam quoque fuisse factos, quos deinde fiscales Königs eigne Leuthe appellauerint. Sub Ottone I. Slavos, qui Lusatiam tenebant, oppressos, inque duriozem seruitutem detrusos fuisse, recte obseruauit POTTGIESSERVS *l. c. l. I. c. 2. § 99.* Tales seruos reges nobilibus in feudum dederunt, vel ecclesiis donarunt, qui ideo vocabantur Gottes Hauß Leuthe. Exempla collegit MELCHIOR HAIMINSFELD *Goldastvs script. rer. Alamann. T. 3. p. 52. seq.* Concedo quidem, antiquitus rusticos in Germania fuisse seruilis conditionis. Sed alia fuit priscorum seruorum ratio, alia eorum, qui seculis temporibus exorti sunt. Illi seruitutem leniorem, hi longe duriozem subierunt. Et quamuis manu-

missiones

missiones iam antiquissimis temporibus in Germania usitatae fuerint, quibus etiam successu temporis aliae causae accesserunt, quae seruis occasionem se in libertatem vindicandi praebuerunt, harum tamen omnium effectus non aequae fuit vniuersalis, ita vt nihilominus eiusmodi rustici adhuc supersint plures, qui homines proprii recte appellantur. Qui quidem vulgo sic describuntur, quod sint rustici ~~seruili~~ ^{seruili} conditionis ipso corpore dominis ita obnoxii, vt pro alimentis, quae ex praediis percipiuntur et operas eademque plerumque indeterminate dominis praestare teneantur. Dicuntur vulgo Leibe oder Halbselige, Eigengehörige, Höfhörige, Dienstpflichtige, Knechte, arme Leuthe. CHRISTIAN. GOTTLOB HALTAUSIUS in glossar. Germ. sub verb. Arme Leuthe et Leibeigene. Homines scilicet proprii ita dominio addicti sunt, vt inscio vel inconsulto domino, neque domicilium mutare, neque quidquam in fraudem domini suscipere queant. Discrimen, quod inter famulos mercenarios et homines proprios intercedit, accurate obseruauit CHRISTIAN. THOMASIVS in dissertat. de hominib. propr. et liber. Germanor. § 30. Homines vero proprie ab iis seruis, quibus Germania aevo medio fuit repleta, non esse diuersos, multi iam obseruarunt, ex quibus nominare licet CAROL. GVIL. DE GAERTNER in not. ad leg. Saxon. p. 32. seqq.

§. III.

Quemadmodum olim serui vel nascebantur, vel fiebant, ita etiam hodie homines proprii nascuntur et fiunt. Nascuntur ex hominibus glebae adscriptis, licet tantum alteruter parentum, vti mater, seruili fuerit conditionis. Huc pertinet IOA. VADIANI epistola de coniugio seruorum in GOLDASTI scriptor. rer. Alamann. T. 3. p. 141. seqq. Addimus ius provinciale Bauaricum T. 4. art. 8. Si liberi ex legitimis nati



piis fuerint procreati, iure Lusatico partus sequitur conditionem patris; si extra matrimonium nati, et pater incertus fuerit, sequuntur conditionem matris, et ad eundem dominum pertinent, cuius fundo mater eo quidem tempore, quo sobolem peperit, fuit adscripta. Sic enim Serenissimus Saxon. Elector Ioannes Georgius I. pronunciauit *Artic. 11. Ordin. Subdit. Lusat. superior*: Erstlichen wird ein jedweder derjenigen Herrschafft, worunter er geböhren, unterthänig, und ob zwar Rechtsens, und bey diesen Marggraffthumb Herkommens, daß die Kinder des Vaters Zustand folgen, so hat es doch eine andere Gelegenheit mit denen unehelichen Kindern, dannhero dieselben ihrer Mutter Zustand folgen, und sollen der Herrschafft unterthänig seyn, deren ihre Mutter bey der Geburth mit Unterthänigkeit verwand gewesen. Res igitur dubitatione caret, si yterque vel alteruter parentum fuerit feruillis conditionis, si incertum sit, cuius dominio mater meretricio more viuens subiecta fuerit, Serenissimus legislator hanc speciem in fauorem domini, in cuius praedio partus fuit editus, explicauit his quidem verbis: Daßern aber Zweifel vorkiele, welcher Herrschafft die Bettel eigentlich unterthänig, so soll alsdem das Kind selber Herrschafft unterthänig seyn, darunter gedachte Bettel desselben genesen. Fiant quoque homines proprii non quidem more antiquo per captiuitatem, quia hic mos humanitati nostrae aetatis non congruit, neque per expositionem infantis, aliisque rationibus, quae antiquitus obtinuerunt, de quibus exposuit *Illustr. 10. FRIDERIC. EISENHART. institut. iur. German. L. I. T. 7. §. 3.* sed aliis modis iisdemque variis. Ita rusticus, qui antea nullius glebae adscriptus fuit, per additionem voluntariam homo proprius fieri potest, quoniam cuius fauori suo renunciare licet. *Ordin. subd. Lusat. super. Artic. 2. n. 2.* Eiusmodi pacta vt magis stabiliantur in litteras rediguntur, quae vulgo Ergebe Brief vocantur. 10. GOTHOPRED. STEVDNER in *dissert. de hominibus glebae adscriptis*



ptis Lusatae superior. cap. I. §. 7. Qui vero in iis locis, vbi aer dicitur seruum facere, commoratur, qui mos obtinet in nonnullis Palatinatus et Hassiae regionibus, vti HENRIC. HILDEBRAND. *in diss. de iure Wildfangiatus* et Illustr. IO. GEORG. ESTOR *in iurisprud. German. P. 3. l. 1. c. 55. §. 359.* ostendit, quodammodo etiam sit homo proprius. His subnecto eos, qui in Lusatia vocantur *Haußgenossen*, quibus, quamuis non glebae adscripti sint, tamen non permittitur sine dimissionis testimonio de loco in locum migrare. Quorum quidem liberi in illis locis, vbi commorantur, procreati, hominibus propriis annumerantur. Ceterum per se patet, feminam liberam, quae cum homine proprio matrimonium iniit, quia domicilium et statum mariti sequitur, in conditionem seruilem redigi. Si lis inter plures exorta est de statu hominis proprii, is eum acquirit, cui iudicis sententia adiudicatur. *Ord. Lusat. cit. art. 2. STEVDNER in dissert. citat. cap. I. §. 9.* Is quoque merito iis annumeratur, qui ipse se hominem proprium dixit, modo id non animo alterum decipiendi fecerit, nec quis eum iure dominii vindicauerit. *Ead. Ord. §. 5.*

§. IV.

Pergimus ad diuisionem hominum priorum, qui quidem apud veteres Germanos triplici modo distinguebantur. Alii enim erant in seruitiis regis, qui vocabantur *fiscalini*, quia res fisci regii videbantur *Reichs Leuthe*, alii erant in seruitiis ecclesiasticis et *Kloster Leuthe*, *Gotts Hauß Leuthe*, *S. Peters Leuthe*, coloni de casis Dei nominabantur, qui interdum a sanctis ecclesiae vel monasterii patronis nomina acceperunt, reliqui erant in seruitiis priuatorum, et omnes diuidebantur in *casatos* *die Röttere* seu glebae adscriptos, et non *casatos* siue *Gasindos*, qui rem domesticam peragebant. PAVL. HACHENBERGIVS *in German. med. differ.*



dissertat. 2. §. 16 seqq. Hi pro seruitiorum praestandorum, et praediorum, quae coluerunt, varietate, diuersa acceperunt nomina; de quibus adeundus est IO. RVDOLPH. ENGAVIVS *in element. iur. German.* L. I. T. 3. §. 28. et IO. GOTTLIEB HEINECCIUS *in element. iur. German. T. 1. Libr. 1. t. 1. §. 38.* Cauendum vero est, ne cum his seruis propriis confundamus aliud genus Germaniae seruorum, quibus illud serui nomen magno honori fuit, ac cum dignitate coniunctum. Illi enim non in seruitiis priuatorum, sed in seruitute publica erant, ita vt imperatori vel principibus Germaniae, praesertim tempore belli, operas et ministeria praestarent, inde etiam ministeriales; *Dienstmanne, Reichs Dienstleuthe* vocati sunt *R. I. de anno 1512. §. 56.* Adde POLYCARP. LEYSER *observat. diplomat. historic. de seruis nobilib.* Sed harum diuisionum usum ignorat nostra Lusatia. Nostri quidem moribus homines proprii plerumque diuidi solent secundum magnitudinem praedii, quod possident. Qui totum praedium possident, vocantur *Ganz Bauern*, alibi *volle Bauern*; qui tantum dimidium tenent, nominari solent *Halb Bauern*, qui praeter casam adhuc hortum habent *Gärthner*, casarum vero possessores *Häufser* vocantur. Sed qualem potestatem dominus in eisdem exerceat, nunc strictim exponere iuuat.

§. V.

Homines proprios dominus iure meritoque castigare potest, licet multi hoc temere negent. Sicuti enim ius disciplinae domesticae cuiuslibet domino tam legibus Romanis, quam Germanicis concessum est, ita quoque domino ius homines proprios castigandi et coercendi denegari non potest, dummodo caueat, ne castigatione nimis seuera eorum vitam et sanitatem laedat. AVGVSTIN. A LEYSER *Spec. 16. med. 4.* Nam
B 2 etli



etsi dominus propter nimiam saevitiam, et potestatis legitimae abusum, iure suo priuatur, tamen ex verbis, quae *Artic. 4. dict. ordinat. Lusatiae*. sic exprimuntur: Mit denen Unterthanen allzugraußam, und grimmig verfahren, und übermäßig bestrafen, satis elucet, quod ius castigandi domino non profusus ademptum, sed tantummodo restrictum sit, ne quis nimis crudeliter in homines proprios saeviat, atque poenas acerbiores illis imponat. Hanc sententiam et leges ipsae, et quotidiana experientia confirmat. Homines enim proprii propter delicta grauiora, ab ipso domino, cuius potestati obnoxii sunt, coercentur ita, uti legibus ius est, delicta vero leuiora in ministeriis admissa, pro malitiae et culpa discrimine variis modis vindicantur. Raro quidem verberibus castigantur, saepius vero in vincula et carceres coniiciuntur, eoque instrumento in Lusatia coarctantur, quod vulgo vocant den Klemstock, praeterea catenis vincti in carrum alligantur, atque ita ligati operas praestare tenentur, quae poena vulgo dicitur in die Karre geschloßen werden. Variant haec coercionum genera secundum consuetudinem cuiusque loci. Adde HERMANN. ADOLPH. MEINDERSIVM *in dissert. prima de iurisdic. colonar. p. 53. seqq.* imprimis vero *statuta colonaria episcopatus Monasteriensis apud eundem pag. 75.*

§. VI.

Homines proprii pro alimentis, quae ex praediis consequuntur, variis praestationibus, quae census appellantur, tam ratione praediorum, quam personarum obnoxii sunt. Quae quidem praestatio ab antiquissimis maiorum moribus est repetenda, vti ex TACITO *de morib. Germanor. c. 25.* apparet. Quod consecutis temporibus vsitata fuerit, id vel *L. Alamann. T. 22.* satis ostendit. Exiguntur eiusmodi praestationes in vilitatem domini, certo tempore et certa aliqua occasione, ac plerumque



rumque consistere solent vel in pecunia numerata, ita *ius Bavar. provinc. T. 4. art. 4.* exigit den Leib Pfennig, die Leib Steichung, vel in rebus, quae usu consumuntur, v. c. in gallinis, ex quibus notae satis sunt istae, quae vulgo Rauch Hühner nuncupantur, ex quarum praestatione GEORG. BEYER *in delineat. iur. German. L. 1. c. 5. §. 7.* hominis proprii conditionem inferendam esse putavit. Quodsi eiusmodi census non stato tempore ab homine proprio praestatur, *iure Saxon. provinc. L. 1. art. 54.* mora ita crescit, ut dominus per singulos dies duplicatum poscere queat, unde census promobiles Nutscher Zinsen orientur. Cum autem nostris moribus morosi debitores aliis remediis ad praestanda officia compelli possint, census promobiles in plurimis Germaniae locis non amplius in usu esse, monet Illustr. GEORG. HENRIC. AYRER *in dissert. de censib. mor. crescent. et Vir Amplissimus CHRISTIAN. GOTTL. RICCIUS in spicileg. iuris German. L. 1. T. 2. §. 28.* Quare domino tantum plerumque id, quod interest, praestatur.

§. VII.

Porro domino etiam competit ius ab hominibus propriis exigendi operas, cuiuscunque sint generis, tam officiales, quam artificiales, dummodo glebae adscriptus alimenta sua quaerere non impediatur. Hanc enim humanitatem iam suadent *Capitular. reg. Francor. L. 5. c. 303.* Quo tempore vero et modo homines proprii operas praestare debeant, id plerumque ex libris censiticis den Erbregistern probari solet. In regula quidem operae sunt indeterminatae, ita ut quotidie a solis ortu usque ad occasum tam iumentis, quam manu operas praestare teneantur, licet negandum non sit, interdum genere, tempore, et modo eas esse determinatas, moribusque introductum, ut

B 3

non





non prius praestandae sint, quam antea fuerint indictae. Ipsae tamen indeterminatae certis circumscribuntur terminis, nec festis diebus, aut alio modo, quam moribus receptum est, debentur, nec de loco ad locum, nec de specie ad speciem similem sunt extendendae. Id quoque certum est, eas duntaxat deberi, quae ad utilitatem praedii, cui colonus adhaeret, pertinent, vti sapienter admonuit *Illustr. FRID. ESAIAS PUFFENDORFFIUS in obseruat. iur. German. T. 1. obseru. 121. §. 5.* Et quamuis operae plerumque tanquam onera realia praediis inhaereant, tamen ii, qui praedia non possident, ab illis prorsus non eximuntur, licet non quotidie, sed tantum statis temporibus operas manu praestent. Dominus in operarum praestatione alimenta hominibus propriis non suppeditat, nisi moribus vel pactis aliud sit introductum, damna vero instrumentorum et iumentorum, quippe quae ipsi subditi suis sumptibus comparare obligantur, ad operarios pertinent. Praeter haec seruitia consueta, homines proprii operas liberorum prae aliis domino locare tenentur. *Conspirat ordinat. Lusat. infer. T. 2.* Quare illi, qui alieno domino operas suas locarunt, non solum in poenam incurrunt, sed a domino etiam reuocari et vindicari possunt. Vid. *Antis Patent wegen der Unterhanen, und des Dienst Gesundes im Marggraffthumb Ober Lausitz d. d. 6. Ian. 1649.* Plura huc pertinentia collegerunt *ESTOR l. c. c. 56.* *GEORG. ENGELBRECHT in d. de operis rusticorum* et *V. C. CHRISTIAN. HENRIC. BREVNINGIUS in d. de gesind. hodiern. c. 3.*

§. VIII.

Homines proprii in nonnullis locis si matrimonium inire cupiunt, domino pro consensu certam pecuniae summam solvere tenentur, quam vulgo vocant maritagium, cuius quidem origines



origines diligenter inuestigauit POTTGIESSERVS *de statu ser-
uorum L. 2. c. 11. §. I. seqq. Ordinat. colonar. Rauens-
berg. c. 4. §. 12. et ordinat. colonar. Osnabrug. c. 16. §. 2.*
Hinc etiam multam stupri exigit dominus ab eo, qui ancillam
violauit, *L. Frisior. T. 12* quod quidem ius vulgo dicitur das
Bettemunds Recht, de quo varia rursus digna obseruauit lau-
datus supra ESTOR *in l. c. §. 376.* In Lusata autem quamuis
dominus in nuptias hominum propriorum consentire debeat,
qua in re alia quoque iura consentiunt, vti *ordinat. agrar. Cu-
stau Adolphi ducis Megapolitani de anno 1654. T. 2. §. 1.*
et ordinat. colonar. Osnabrug. c. 16. §. 1. domino tamen ma-
ritagium exigere non licet, id quod in honorem matrimonii
plane abrogatum est. Disertis enim verbis cautum est *Art. 4.*
Ordinat. subdit. Lusat. super: Und obgleich bißhero etliche
Herrschaften von denen Weibs Personen, wann sie sich verhey-
rathen wollen, eine absonderliche Gebühr abgefördert, weils aber
solches nicht allein dem Landes Gebrauch, und vernünftigen Rech-
ten, sondern auch der Billigkeit ganz ungemäß, so wird solches
nicht unbillig als ein ungegründeter Brauch an allen Orten ab-
geschafft, und sollen dem Ehestande zu Ehren, die Weibs Perso-
nen mit allen und jeden Ufflagen unbeschwert bleiben. Adeo vero
ius nostrum matrimonii libertati consulit, vt si homo proprius
domino inconsulto nuptias inierit, matrimonium haud sit re-
scindendum, vti apparet ex rescripto regio, quod STEVDNERVS
in dissert. laudar. c. 2. §. 13. exhibuit. Simili modo in variis
Germaniae territoriis domino etiam comperit ius mortuarii
Todten Zoll, Haupt: Recht, Besthaupt, Buttheil, Curmede,
Weidmal, Gewandfall, Geläß, vi cuius mortuo homine pro-
prio masculino, pecudum praestantissimam, mortua autem fe-
mina optimam vestem, aut pro his exiguam pecuniae sum-
mam dominus ex hereditate acquirit, cuius indolem permulti
exposuerunt copiosius, vti FERD. CHRISTOPH. HARPPRECH-

TVS



in duab. differt. de iure mortuario et RICCIUS *in spicileg. iur. German. p. 103. seq.* vt alios omittam. Hoc ius in Lusatia quidem expressa lege non abrogatum est, ob summam vero paupertatem, qua eiusmodi homines premuntur, rarius mortuarium exigi solet. Ita huius iuris vsus vix occurrit.

§. IX.

Cum priscae leges in eo consentiant, seruos Germanicos esse in dominio, *L. Alamann. T. 20.* facile apparet, cur homines proprii iisdem modis, quibus dominium paratur, vel amittitur, acquirantur vel transferantur. Sinunt leges eosdem tanquam res, quae in commercio existunt, emere et vendere, donare, cedere, et permutare. *Ius prouinc. Bauar. T. 4. art. 3.* Itaque etiam pignori obligari possunt, et vna cum fundo in alios transferri, quin partes fundi accessoriae esse videntur. In Lusatia tamen superiore *art. 2. ordinat. subdit.* facultas alienandi ita restricta est, vt inuici sine fundo in alios transferri non possint. Ita, teste STEVDNERO *in diff. laudat. cap. 1. §. 8.* dicasterium supremum Budissinense pronunciauit.

§. X.

Nec silentio praetereundum est ius fugitiuos vindicandi, Das Besatzungs sine Sagercht. Saepe enim homines proprii officiorum parum memores, in alienas terras aufugiunt, ita vt praedia, quae possederunt, inculta maneant, et domino censu operisque priuato graue damnum inferatur. Quamobrem iam leges antiquae domino potestatem concedunt, fugitiuos a quocunque alio domino, cuius potestati se subiecerunt, vindicandi. *L. Wisigothor. Libr. 9. t. 1.* Vt vero facilius



gillus glebae adscripti impediuntur, quo minus in fugam se con-
iciant, sapienter cautum est, vt omnes, postquam an-
num XIV. impleuerunt, coram iudicio se sistere, ibique pro-
mittere debeant, se nunquam sine consensu domini fines
egredi velle. Ita enim in *ordinat. Lusat.* constitutum est:
Daß dieselben, wann sie 14 Jahr erreichen, für die Herrschaft
oder deroelben Gefallen nach, für gehegtes Dedinge sich
gestellen, daselbst gerichtlichen angeloben, daß sie sich ohne
Wißen und Willen ihrer Herrschaft außer Landes nicht be-
geben, und im Dienst versprechen. Haec promissio quam-
uis stricte exigatur, peruersos tamen homines a malitiosa
fuga turpique desertione non deterret. Cum autem serio
interdictum sit eiusmodi transfugas in vrbes et pagos reci-
pere, id quod iam olim Carolus M. certa lege, quam PETR.
GEORGISCHIVS *in corpore iur. German. p. 1152.* exhibet,
prohibuit, dominus facile explorare potest, quorū
illi se contulerint, cui tunc competit illud remedium, quod
iam *L. 14. C. de agricol. et cens.* suppeditat, vt statim eorum
possessionem recuperet, dummodo dominium et possessio-
nem, si lis moueatur, probauerit, quo tamen remedio ra-
ro vitur dominus. Extat enim speciale mandatum, quo
praeceptum est, vt quilibet dominus hominem proprium
fugitium, si antea rogatus fuerit, statim pristino domi-
no reddere debeat. Ita enim sanxit Serenissimus Saxonum
Elector IOANNES GEORGIVS *in Mandato d. ed. 8 Jul.*
1656. Von Abfolgung flüchtiger Unterthanen: Als ordenen
und befehlen wir allen und ieden, wie obbemeldt, daß sie hin-
fürhero keinen aus unsern Marggrathumb Ober Laufsitz ent-
wichenen Unterthanen, er sey im ledigen Stande oder verheyr-
rathet, ohne Fürlegung gebührenden Loß oder Abzugs Briefe
würfflichen aufnehmen, oder in ihren Gerichten zu haussen,
C und



und zu herbringen gestatten, sondern dofern dergleichen bey ihnen
 icht, oder hinführo anzutreffen, und die Besizer oder deren Ab-
 gefertigte, auf erfolgenden Anspruch ihr gutes Befügniß, auch
 daß sie den Flüchtigen in Gewehr und Besiz gehabt, als bald
 herbringen, die entwichnen Unterthanen aber keinen Loß oder
 Abzugs Brief vorlegen könnten, die Flüchtigen neben dem ih-
 rigen, auch mitgenommenen Haab und Vermögen, ihnen ohne
 allen fernern Behelff, und Wider-Rede, loß und abfolgen
 lassen sollen. Corroborata est haec praestantissima sanctio in
Mandat. d. d. 1. Jun. 1735, quod exhibet CHRISTIAN-
SCHOENIVS in addition. ad LVDER. MENCKENII Pandect.
p. 992. seq. Hoc ius dominus et extra Lusatiam, et in
 ipsa quoque Lusatia exercet, quamvis hic ob stare videatur
 nota satis regula, quod quisque privilegiatus contra aequè
 privilegiatum iuri suo vti non debeat. In edicto enim a.
 MDCXLIX emissio cautum est, ne nobiles aliorum homi-
 nes proprios recipiant, his quidem verbis: Do sich ieman-
 des von Herrn Prälaten, oder Ritter Stande einen andern
 seine Unterthanen uffzunehmen, selbe zu haussen, und zu beher-
 bringen, oder ihnen einzigen Unterschleif zu geben unterfangen,
 oder solche Unterthanen ohne Zug und Recht vorenthalten, und
 uff Erfordern, oder Begehren nicht folgen lassen würde, der
 soll dem Lande 50 Thaler Strafe verfallen seyn. Ita dominus
 hominem fugitivum rursus potestati suae restituere poterit,
 dummodo ius domini rite monstraverit. Si fugitivi domi-
 cilium ignoret, hic quidem citatur, vt se sistat et ad glebam
 suam reuertat. Si redire nolit, in bannum incidit, et suam
 hereditatem cum reliquis emolumentis, quae ex praedio et
 aliunde percipere potuisset, amittit.



§. XI.

Denique domino etiam competit ius homines proprios manumittendi. Manumissiones autem priscis Germanis incognitas non fuisse, auctores antiqui satis testantur. Praeter illos enim modos, quos a Romanis receperunt Germani, etiam alii manumittendi modi in usu fuerunt, v. c. manumissio per arma et sagittam, per denarium, et per votum regis. *L. Ripuar. T. 57. §. 7. L. Longobard. L. 2. T. 34. §. 1. HEINECCIUS in element. iur. German. T. 1. L. 1. t. 2. §. 53. et 10. GVIL. HOFFMANNVS in Specim. iurisprud. Symbol. §. 4.* Plerique vero, qui olim obtinuerunt, manumittendi ritus in desuetudinem abierunt. Dum nostris moribus homines proprii libertatem acquirere cupiunt, requiritur primum, ut dominus ad manumittendum sit habilis, hoc est ut rerum suarum plenam et liberam administrationem habeat, nam tutori, aut curatori ratione fundi pupillorum minorumue manumittere non licet. Marito autem intuitu fundi dotalis vxoris suae ex legis nostrae sanctione *art. 4.* omnis manumittendi facultas non deneganda, quae sapienter admodum quibusdam limitibus fuit circumscripta. Vnum enim et alterum manumittere non prohibetur, dummodo id vxori non sit incommodum. Nec e contrario vxor in fraudem mariti, cui ususfructus legitimus in praedio dotali competit, eiusmodi homines manumittere potest. Idem erit statuendum, si homines proprii a domino creditori oppignorati sint, vel si quis bonis cedat, quia tunc domino in fraudem creditorum manumittere non licet, quamuis concursu oborto, creditorum consensu manumissiones quorundam recte peragantur. Ita responsum fuisse *STYVDNERVS* affirmat *in diff. excitat. cap. 3. §. 3.* Quae omnia confirmantur *Artic. 4. ordinat. subdit. Lusat.*



Lusat. Quodsi dominus manumittere non impediatur, necesse est, vt manumissio fiat per litteras, quae vocantur afrancamenta Loß Briefe. Expressa enim lege prohibitum est, homines proprios tam in ipsa Lusatia, quam extra eius fines in vrbes et pagos recipere, nisi tale instrumentum producere possint. Homines proprii pro his litteris certam pecuniam soluere tenentur, quae in *cit. ordinat. art. 4* his verbis definitur: So sollen hinführo besagte Loßbriefe, hñher nicht denn einer von 1. 2. 3. 4. 5. biß 10 Thaler, doch nach Vermögen der Unterthanen, und jedes Orths Herkommen, geschägt werden. Hac itaque ratione homines proprii libertatem acquirunt, et eorum liberi, qui adhuc patriae potestati subiecti sunt, simul manumittuntur, licet in afrancamento nulla eorumdem facta sit mentio. Liberi vero emancipati, patre manumisso, potestate dominica haud soluuntur. Sicut autem dominus in regula ad manumittendum cogi non potest, ita e contrario ille homines proprios, qui deliquerunt grauius, etiam inuitos ex praedio eicere potest, ita vt eiecti quidem libertatem consequantur, vti BEYERVS in *delineat. excitat. L. 3. cap. 11. §. 11.* recte statuit, liberi autem, quamuis adhuc patriae potestati subsint, domino proprii maneant, quod quidem confirmatur *ordinat. nostr. art. 4*: Do auch ein Unterthaner wegen Mißhandlung, oder aus andern Bedenken von der Herrschaft von Grund und Boden verjagt wird, so solle selber zwar vor seine Person loß seyn, die Kinder aber bleiben etnen Weg wie dem andern selbiger Herrschaft unterthänig. Quamuis vero homo proprius libertatem impetrauerit, tamen a domino in pristinam seruitutem reuocari potest, si conditio manumissionis non fuerit secuta, vel ab homine proprio intra annum non impleta, quod eleganter monstrauit V. C. IO. TOBIAS RICHTERVS in *dissertat. Marchionatus Lusat. supe-*

superior. ius singulare homines proprios manumissos reuocandi. Saepe quoque fit, vt domini humanitate commoti, homines proprios ad artes discendas et opificia tractanda transire sinant, qui si inscii vel inuitis dominis nouam vitae genus eligant, secundum *art. 4. m. 7. dict. ordinat.* ad damnū inde datum refarciendum sunt obligati. Ceterum non spernenda sunt, quae laudatus *MEINERSIUS in dissertat. singular. de manumissionibus et redemptionibus hominum priorum* tradidit, semperque erit maximopere cauendum, ne quis iura libertorum legibus Romanis confitura, ad nostros homines transferat, quorum status vnice moribus Germanorum est aestimandus.

§. XII.

Haec sunt iura praecipua, quae dominus fundi vi dominicae potestatis in glebae adscriptos Lusatae superioris exercet. Ex quibus facile est ad intelligendum, eam nec cum potestate dominica, quam ius Romanum describit, nec cum ea, quae antiquissimis temporibus in Germania obtinuit, esse comparandam, siquidem domino seruos occidere, vel durius tractare non licet, hi vero matrimonia et contractus celebrare, bona propria acquirere, deque iis disponere, nec non testamenta et codicillos facere possunt. Late tamen patet dominorum potestas, eaque praestat auctoritate, vt omnes conuentiones ab hominibus propriis in fraudem domini initae, ipso iure nullae sint. Atque contra hanc seruitutem iure quidem Lusatico nulla, nec longissimi quidem temporis praescriptio, qua tamen alibi omnino libertas acquiritur,



vi variis exemplis comprobavit RICCIUS in *Specim. de
praescript. Germ. c. 16*, locum habet, id quod expressis ver-
bis *Artic. 2. ordinat. subdit. Lusat.* sancitur: Daß sie sich
zu keiner Zeit, es stehe kurz oder lang an, mit einiger Ver-
jährung nicht zu behelffen haben, weniger dieselbe dem Unte-
thaner, wenn er gleich 10. 20. 30. oder mehr Jahre außert
bleiben mdgte, zu statten kommen solle, welches denn auch von ihren
Kindern, und Kindes Kindern zu verstehen. Haec strictim de
conditione hominum propriorum in Lusatia attingere volui,
humanos obtestans lectores, vt si eorum desiderijs non satis-
fecero, aetatis imbecillitati ingenique tenuitati beneuole
ignoscant.



VK 1920 6A

ULB Halle

3

007 417 306





Vk
1920

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8


B.I.G.

Farbkarte #13



DE
POTESTATE
TIAE SVPERIORIS
ERTATIO
QVAM
ESIDE
OSTEPHANO
ANDIO
TIONVM ORDINARIO CVRIAE
ATVS ATQVE COLLEGII IVRE-
ORVM ASSESSORE
R. A. R. S. CIOICCLXIX
ORIO MAIORE
E DEFENDET
VCTOR
VID FISCHERVS
DO LVSATVS

CHRISTIANI DÜRRII
MIAE A TYPIIS



2.774